



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Ab. 52. j



18

I. N. J.
DISPUTATIO XVIII.
SELECTARUM
THESIUM
JURIS CERTI & CON-
TROVERSI

Ex Tit. J. d. Oblig. qv. ex qs. Contr. nasc.
Per qv. perf. Obl. acq. & Quib. mod. toll. obl.
ijsque Titulis ꝛ. C. Just. Theod.
βασιλικ. & ꝛ. respondentibus.

Quam
PRÆSIDE
JOHANNNE CHRISTO-
PHORO Volk /
J. U. D. & Profes. Secund.

JOHANN. CHRISTOPH. ENDMAN,
Pillav. Prusf.
RESPONDENS
publicè defendet
IN AUDITORIO MAJORI
A. clc. lcc. LXXXI.

REGIOMONTI,
PRÆLO REUSNERIANO.

VIRIS

GENEROSO, ac Meritis in Principem Eminentissimo

DN. VITO HEIDEKAMPF,

Sereniss. ac Potentiss. Principis Electoris Brandeb. Consiliario Gravissimo, omnium, quæ in Ducali sunt Prussia, Fortalitorum Commisario, Directori Teloniorum Supremo, Regaliumque Succini in Prussia Inspectori Dignissimo:

Dn. Hæred. in Wange / Pergusen / & Schmeersberg &c.

Evergetæ & Mœcenati suo ætatem suspiciendo.

Nec non

Præ-Nobilissimo, Consultissimo, & Excellentissimo

DN. ACHATIO CHRISTIANO

RANGER,

J.U.D. & P.P. Acad. Albert. Celeberrimo, Adsesori venerandi Consistorii Sambiensis Dignissimo:

Patrono ac Promotori Studiorum suorum æternum devenerando.

Ut &

Nobilissimo, Excellentissimo ac Doctissimo

DN. GEORGIO THEGEN,

Phil. Magistro, & Pract. Phil. in alma Regiom. Prof. Publ.

Patrono suo ac Præceptori, nec non Hospiti quondam observandissime colendo.

*Specimen hoc Juridicum, in devotissimi affectus
teseram, debitamque omnis exhibitæ, ac
perennandæ benevolentia nec non ulterio-
rem studiorum suorum commendationem,
cum voto perpetue felicitatis, humillimâ,
quâ par est, reverentia*

offert

JOHAN. CHRISTOPH. ENDMAN.



Itulis *j. d. Oblig. q. ex qu. Contr. nasc. Per. qu. Pers. oblig. acq. & Quib. mod. toll. oblig. respondent in π. Lib. 3. Tit. 5. Lib. 27. Tit. 3. Lib. 10. Tit. 2. & 3. L. 12. T. 6. L. 46. T. 2. 3. & 4. L. 16. T. 2. in C. Justin. Lib. II. Tit. 19. Lib. V. Tit. 37. Lib. III. Tit. 36. 37. 38. Lib. IV. T. 5. 27. 31. Lib. VIII. Tit. 42. 43. & 44. C. Theod. L. 2. T. 24. & 25. & Lib. 3. T. 19. Lib. 7. T. 23. & 24. βασιλ. L. 12. T. 2. 3. Lib. 17. Tit. 1. L. 24. T. 6. & 10. Lib. 26. Tit. 4. 5. 6. Lib. 27. Tit. 7. ✕. Lib. III. Tit. 23.*

II. Continentur in his Titulis (1.) Quasi Contractus. Negotiorum gestio §. 1. *j. d. Oblig. quæ quas. ex Contr. nasc. t. t. π. C. Just. & βασιλ. d. N. G.* Tutelæ administratio §. 2. *j. d. t. t. π. C. Just. Theod. & βασιλ. d. Admin. Tut.* Communio §. 4. *j. t. t. π. C. Just. Theod. & βασιλ. Fam. Erc. & Comm. div. t. t. C. 7. & βασιλ. comm. utr. jud.* Aditio Hereditatis §. 5. *j. d. t.* Indebiti solutio §. 6. *j. d. t. π. & C. Just. d. Condict. Ind. t. t. βασιλ. d. eo qui indebitum solvit & solutum repetit* (2.) Personæ per qu. Nob. obligatio acquiritur *t. t. j. & C. 7. per qu. pers.* (3.) Modi tollendi obligationem *ipsò jure* ut sunt Solutio *pr. j. Quib. mod. toll. Oblig. t. t. π. C. Just. βασιλ. & ✕. d. Solutionibus & Liberat.* Acceptilatio §. 2. *j. d. t. t. π. & βασιλ. d. Acceptil.* Novatio §. 3. *d. t. t. π. C. Just. & βασιλ. d. Novat.* Mutuus consensus §. *fin. j. d. t.* Oblatio & obsignatio pecuniæ debitæ *l. 28. in fin. π. d. Admin. Tut.* Compensatio *t. t. π. C. 7. Theod. & βασιλ. d. Compens.* Confusio *l. 75. l. 95. §. 2. π. d. Solut.*

III. Quasi Contractus fundamentum habent in *tacitâ & præsumptâ* conventionione quam scil. fovet ut plurimum *Lex* aut alia *juris species* aut ex aliquò *factò* educit. Sic in *negotiorum gestione* præsumit quem eò animo gerere negotia absentis ut quod impendit à Domino reverso repetat. Necesarium vero est ut quis alterius gerat negotium & quidem quod tendit ad alterius commodum vel utilitatem, cum sibi ipsi nemo possit obligari. Itaque ut maximè

A

quis

quis alterius negotium quasi suum gesserit actio non nascitur" l. 6.
§. 4. d. N. G. Qua in re positio negotio alterius & alieno, dubitate
contingit, an plus operetur quoad dandam N. G. Actionem veritas
& res ipsa, an opinio? Circa quod *dubium* textus non satis perspi-
cuos occurrere ait *Bachov. in Comm. ad πρω]. Tit. d. N. G. c. 2.* Ma-
gis tamen veritas quam opinio spectatur, ut negotia sint alterius, ut
enim ejus fiant, ad quem non pertinent, opinio non operatur, quia
hac Actio ex re ipsa & facto gerendi nascitur l. 5. §. 1. π. d. N. G.
quæ eadem est sententia l. que 45. §. ult. ubi qui solvit Creditoribus
hereditariis nomine ejus quem putabat esse heredem testamentarium,
contra heredes ab intestato habet Actionem: Intentio enim ejus fuit
obligare sibi heredem, nec æquum est eum in damno esse, qui quod
solvit hereditario nomine, ab his, quibus solvit repetere non potest
l. 44. d. Cond. Eiusdem generis casus est in l. 6. §. si Titus 8. d. t.
quod dedi pecuniam me occideretur Servus, quem putabam Titij,
cum esset Sempronij, & contra hunc habeo Actionem. Neces-
sarium quoque est ut gerens alterius negotia animum repetendi ha-
beat, & alterum sibi obligandi, alias si quis non hac contemplatione
ad negotia accessit, sed sui lucri causa suum potius videtur gessisse
negotium l. 6. §. 3. d. t. Est enim N. G. quasi Contractus cum quis
unum vel plura negotia alterius absentis, ignorantis, & non probi-
bentis, sua sponte & sine mandato, animo repetendi, quod expensurus
est gerendum suscipit, ac utiliter gerit. Non est verus Contractus
quia in absente & ignorante cujus negotia geruntur non est verus
sed præsumptus consensus, & utilitatis causa Legibus munitus, ne
absentium qui subita festinatione coacti nulli negotiorum suorum
curâ, demandata peregrè profecti sunt, negotia defererentur, quæ Ne-
mo curaturus esset, si omni hoc humanitatis officium Actione desti-
tueretur. Absentis non præsentis negotium geri debet, quia man-
dare censetur, qui præsens patitur alium sua negotia gerere, & ideo
mandati potius quam N. G. inter præsentis competit Actio. Si quis
autem Negotia furiosi infantis vel mente capti gesserit actionem
consequitur etsi præsentis fuerint, quia absens furiosus & quiescens
æquiparantur l. 2. §. furiosus π. d. Jur. Codic. arg. l. 3. §. 5. π. d. N. G.
Ignorantis quoque nec prohibentis negotium geri debet, quia requi-
ritur etiam in hoc quasi Contractu ne Dominus absens prohibuerit
negotia

negotia sua gerere. Nam si quis contra expressam Domini prohibitionem negotia illius gesserit, ipse contra dominum nullam habet Actionem *l. si quis nolente f. C. d. N. G.* quia tum cessat præsumptus Consensus & quasi Contractus tanquam fundamentum Actionis. Furius hanc descriptionem N. G. examinat *Cass. Manz. ad Tit. j. d. Obl. qv. ex quas Contr.*

IV. *Actio N. G.* alia est *ordinaria* quæ oritur ex quasi Contractu, alia *extraordinaria* quæ variis casibus, qui ad quasi Contractum vix aut ne vix referri possunt accommodatur. Sic datur adversus Executorem *l. 3. §. 8. h. t.* Curatorem adolescentis furiosi prodigi *l. 3. §. 5. eod.* & illum qui mandato Tutoris Tutelam administrat *l. 4. C. d. N. G.* Unde non placet opinio *A. Fab. 4. conj. 7.* qui verba in *extraordinariis l. 47. π. d. t.* à Triboniano inspersa esse putat. Aliter sentit Cujacius *15. o. II.* dicens: *Quod Paulus in d. l. nihil interesse directa, an utili quis Actione conveniatur maxime in extraordinariis judiciis, ubi conceptio formularum non observatur, id est, non attenditur scrupulosè, neq; in disquisitionem venit, id bellissime comprobatur l. quamvis §. Si mulieri Ad Vellej. quæ mulierem adeuntem hereditatem ejus pro quò expromisit, conveniri ait vel directa actione, nimirum ex suâ expromissione, vel utili id est restitutoria, quâ defunctus tenebatur. Quid enim inquit mulieris interest quâ Actione conveniatur, cum si unâ non conveniatur possit conveniri aliâ, & hodie in judiciis extraordinariis nihil admodum refert quâ Actione agatur.* Sed Triboniano clausulam hanc ut juribus sui Seculi atq; *§. f. j. d. Interd.* convenientiam induceret, Legi inferere nulla injunxit necessitas. Nec sentiendum cum iis quasi tempore *Pauli*, cujus ea Lex est, formulæ judiciorum ex parte cessaverint, atq; adeo absq; iis jus redditum fuerit, id enim demum à Constantino effectum est *l. un. C. d. form. & impetr. subl.* Nec statuendum cum *Wesembecio ad h. t.* hanc Actionem ob quædam singularia fieri Prætoriam, sed manet civilis quia ex quasi Contractu non vero ex Prætoris Edicto descendit *Habn. in o. th. pr. ad Wes. ad h. t. n. 9.* Obligatur negotium gerens ad rependendum damnum etiam levissimâ culpâ datum *§. 1. j. d. Oblig. qv. ex qs. Contr. l. 6. §. 12. l. II. l. 37. d. N. G. l. 24. C. d. Usur. l. 25. §. 16. F. E.* quia videtur Negotiorum gestor alios, qui ipso fortè diligentiores negotia

A 2

curanda

curanda suscepissent prævertere *arg. d. l. 6.* adeoque sese ad illam diligentiam devincire, quâ nulla exactior ab alio adhiberi possit. *Bachov. ad Treutl. vol. 1. Diss. 10. §. 5. lit. C. & D. Dissent. Franzk. Ex. 11. q. 9. Arnold. Corv. in Enchir. lib. 3. T. 28. Perez. in C. d. N. G. & Dd. comm.*

V. Tutores ex administratione obligantur, obligatio autem ut effectus oritur ex causis suis, quæ causæ sunt Contractus & delicta. At nullum hic subest Tutoris vel pupilli delictum ex quò alter alteri teneatur, neque Contractus propriè acceptus, quia hujus propriè natura est ut ineatur consensu utrinque expresso vel tacito, at consensus pupilli nullus est: at si quis consensus ipsius esse debeat, necesse est ut accedat consensus Tutoris, qui quod pupillo deest suppleat, si negotium inter pupillum & alium geratur, sed nequaquam si inter pupillum & Tutorem, quia Tutor in rem suam author fieri nequit *§. fin. j. d. Auth. Tut.* Lex itaq; fingit consensum ex administratione & inde Quasi Contractum constituit *Vultej. ad §. 2. j. d. Obl. qu. ex qs. Contr. n.* Mandatum administrandi universale Tutor ab ipsâ Lege habere videtur, & dum administrationem suscipit, hoc ipso pupillo, cujus bona sunt, ad reddendas rationes se obstringit. Obstringitur vero Tutor non ad parvam diligentiam; Cum enim læsioni valdè aliàs sint obnoxii pupilli, ideo iis quam maxime consulendum est, maxima tamen & exactissima diligentia regulariter, ideò non exigitur, ne cum iniquitate Tutor nimis oneretur, qui plerumq; invitus ad eam compellitur, sed sufficit si mediam & quam boni patresfam. suis adhibent rebus, diligentiam præstet *l. 33. l. 13. §. 1. l. 10. d. Adm. Tut. l. 2. C. Si Tut. vel Curat non gess. l. 7. C. Arb. Tut.* Exceptio tamen ab hac generali datur Regula si Tutor se obtulerit *l. 53. §. 3. d. Furt.* tum ad exactissimam tenetur diligentiam *l. 7. §. 2. d. Admin. & peric. Tut. l. 2. C. Arb. Tut. junct. l. 42. d. R. I.* Tenetur itaq; Tutor domum pupilli fulcire agrum vel vineas colere, nè ex hoc patrimonium pupilli vel substantia administrata deterior fiat *l. lex que Tutores C. d. Adm. Tut.* Imo etsi ruinam minarentur vel collapsa essent ædificia, eò quò tempore Tutelam adiit ex pecunia pupilli ea reparare debet, quod si id facere detrectaverit ad damnum & Interesse obligabitur *d. l. C. d. Adm. Tut.* Tenetur quoq; Tutor non solum credita suorum pupillorum exigere, verum
etiam

etiam si aliquid debeant congruò loco & tempore interpellati solvere. Quod si id non fecerit Tutor, & cum possit de pecuniis & bonis pupillorum solvere, bonam fidem non agnoverit expensæ usuræ sive Interesse non pupillis sed Tutori adscribi debent, quia Tutor bonam fidem agnoscere debet *l. quoties §. sicut π. d. Administ. Tut.* Quo fit, ut si Tutor adversus Chirographarios & veros Creditores temere litigare, & defendere pupillum velit nomine proprio possit & debeat in expensas condemnari *l. non est ignotum C. d. Admin. Tut. Munnoz. de Escobar. d. Ratiocin. Admin. c. 23 n. 1. 2.*

VI. Heres quoq; Legatorum nomine non propriè ex Contractu obligatus esse videtur, quia neq; cum herede neq; cum defuncto ullum negotium Legatarius gessisse propriè dici potest. Res quoq; aliquorum communis dicitur sine societate *§. item 3. j. d. Oblig. quasi ex Contr.* sine speciali scil. conventionem, ideò vix materialiter pro sociis haberi possunt, qui cum res ipsis conjunctim legata sit, statim ad divisionem provocarunt *l. pen. l. fin. C. Comm. divid.* ut principaliter res communes dividantur, & minus principaliter præstationū personaliū ratio habeatur *l. 1. l. 14. §. 1. C. eod.* ita ut res ex Societate acquisitā communicetur *l. 2. C. pro Soc.* Socius agnoscat partem damni, item fructus communicet *l. 38. §. 1. π. eod.* hanc Actionem intendit Actor pro parte se esse Dominum & rem suam, & alterum etiam pro parte ex quasi Contractu sibi obligatum esse. *Bachov. in not. ad Wesenb. ad Tit. d. Comm. Divid. n. 2.* Indebiti etiam solutio est conventio præsumpta de eo, qui indebitam pecuniam accepit quasi ex mutui datione obligando *§. 2. j. Quib. mod. re contrah. Obl.* Dupliciter enim in hoc negotio partium spectatur animus, ex veritate & ex præsumptione, nam eo animo datur pecunia ut obligatio, in falsa persuasionem consistens, perimatur *l. 5. §. 3. d. Obl. & Act.* Sed juris præsumptione fingitur ad actum, ut si indebitum appareat, is qui accepit perinde obligetur quasi mutuum accepisset, atq; ita tacita Obligatio est ex præsumptione *l. 13. §. ult. D. Commod.* non igitur Contractus est sed quasi Contractus, non mutuum sed quasi mutuum, unde Condictio certi & incerti oritur. Certi cum certa quantitas soluta est: Incerti cum corpora aut jura soluta sunt veluti ususfr. *l. 12. π. d. Cond. Indeb.* Servitus itineris *l. 22. §. 1. eod.* Item cautio sive chirographum *l. 31. eod.* item si possessio indebita

indebita tradita *l. 15. §. 1. D. eod. l. heres 21. D. ad Trebell.* Neque
 obstat *l. sin aream 15. §. 1. D. d. Cond. Indeb.* quia hæc Lex de Con-
 dictione certi non incerti intelligenda est. Reddi debere indebitum
 cum usuris *l. 1. C. d. Cond. Indeb.* videri posset alicui ex hæc ratione
 quia cum is qui Indebitum accepit tam diu alienâ pecuniâ cum Do-
 mini detrimento est usus, qui interea suæ pecuniæ usu caruit æquitas
 svadere videtur etiam usuras illi eò nomine præstari, ne scil. suum
 commodum ex alterius detrimento comparet, contra *l. 6. l. quoties
 16. D. d. jur. Dot.* præsertim cum usura inducta esse dicatur, ut id
 quod alterius eo nomine interest compensetur *l. illud sciendum 29.
 §. 1. D. d. Edil. Edict.* Contraria tamen sententia firmiori quoad
 certi conditionem nititur fundamento, quia hæc Obligatio non nisi
 re contrahitur, i. e. quatenus res data est *§. 2. d. Obl. que recont.* Si-
 cut ergò ex mutui causa quæ similiter Re contrahitur, nil quàm quan-
 tum re ipsâ datum est exigitur, nec usura nisi in stipulationem de-
 ducta peti possunt *l. Titius 24. D. d. Præscr. verb.* ita in causâ Inde-
 biti soluti tantundem & non plus quam quantum solutum est exigi-
 tur *l. 7. D. d. Cond. Indeb.* Quoad Incerti Conditionem prior sen-
 tentia recipienda est, quoniam ubi corpus solutum est per Incerti
 Conditionem etiam caulæ & accessiones veluti partus & fructus re-
 petuntur *l. indebiti 15. D. d. Cond. Indeb. l. videamus 39. §. 1. D. d.
 Usur.* Prorsus non repetitur Indebitum in causis, ex quibus infician-
 do lis crescit *§. ult. d. Obl. ex qs. Contr.* Nam moris fuit, ut is qui
 in jus vocabatur de pacto unde nata erat Actio interrogaretur *l. 1. D.
 d. Interrog.* Certæ autem erant causæ, ex quibus si inficiatus fuisset,
 & postea mendacii convinceretur, in duplum condemnaretur, veluti
 ex causa iudicati *l. 1. π. d. Cond. Indeb.* ex causa depositi miserabi-
 lis tumultus naufragii *§. sed furti j. d. Act.* causa Legatorum per
 damnationem legatorumque piorum *§. ult. d. Obl. q. ex qs.
 Contr.* ex causâ Legis Aquiliæ *l. 23. §. pen. D. Ad L. Aquil.* ex causa
 ementiti agri in agro vendendo, ut ait Paulus *lib. 2. tit. 18.* Quia
 qui ita solvebat, videbatur propter metum pœnæ, quam ex inficia-
 tione metuebat, ac proinde propter litis metum, transactionis causa
 solvere *arg. l. 40. D. d. pet. her. l. 26. D. d. Condict. Ind. Hottom. ad
 l. 1. §. 4. C. d. Cond. Indeb.*

VII. Sicut in *Physica* videmus omnia orta augeri, aucta verò
 senec-

senescere & mori, ita & in *Jure P. P.* acquisita solvitur, Servitus in-
troducta tollitur, Tutela constituta finitur, dominium acquisitum
amittitur, Testamenta infirmantur vel irrita fiunt, & obligatio per-
fecta dissolvitur. De dissolutione Obligationis præposterè agere
Imperatorem ante pertractationem Obligationis ex delicto hæc vi-
detur inferre ratio, quia Solutio tollit quoq; Obligationes ex male-
ficiis, quemadmodum Contractus & delicta se habent ad obligatio-
nem, ita solutio ad liberationem, sicut causa ad suum effectum. So-
lutio opponitur Contractui & delicto, liberatio opponitur obliga-
tioni, & quemadmodum Contractus & delicta sunt facti, obligatio
autem inde resultans est juris, ita solutio etiam ad factum, libera-
tio ad jus refertur. Ideò *Paulus* dicit solutionem magis ad substan-
tiam obligationis referri, quam ad nummorum solutionem id de ef-
fectu solutionis ejusq; causâ finali intelligendum est. Est igitur *So-*
lutionis verbum ambiguum, & aliquando significat ipsam dissolu-
tionem obligationis, quò significatu effectus est omnium modorum
tollendi obligationem *l. solutionis 54. d. Solut. junct. l. solutionis*
176. d. V. S. Sed in *pr. j. Quib. mod. toll. Obl.* proprium & specia-
lem modum tollendi obligationem, qui nimirum est realis ejus, quod
debetur præstatio *l. pen. d. Sol.* Et ista præstatio est vel vera, vel re-
præsentativa, quæ dicitur datio in solutum cum volenti Creditori ali-
ud pro re debita solvitur *l. 2. §. 1. d. R. C.* Ex hæc *Solutionis* acce-
ptione, nec non aliis plerisq; modis tollendi Obligationem patet:
non malè *Justinianum* hanc materiam tum in *j. tum π.* Delictis præ-
misisse, quoniam in Obligationibus ex Contractu res evidentior est,
& omnes hi modi in illis locum habent. In *Solutione* requiritur re-
alis præstatio, quia si quis verbo tantum se offerat ad debitum sol-
vendum & alteri scribat, se paratum esse satisfacere, veniret proin-
de & pecuniam acciperet, hæc verbalis oblatio ad solvendum nil
operatur, adeoq; verbalis oblatio non relevat, neq; sufficit ad tol-
lendam obligationem, ubi enim factio opus est, verba non sufficiunt,
& posset quis fingere se paratum ad solvendum esse. Accipitur *So-*
lutio hic *strictè* ita, ut per eam intelligatur actualis & naturalis pe-
cuniæ vel alterius rei debitæ adnumeratio, quemadmodum etiam
Marcellus Jctus in *l. solutam 49. π. d. Sol:* Solutam inquit pecu-
niam intelligi, utiq; naturaliter si numerata sit Creditori. Ex quò
iufertur

infertur etiam si debitor realiter offerret Creditori Solutionem, & ipse eam recusaret, quod per hanc oblationem Reus regulariter non liberetur. Aliud est si Debitor non tantum obrulerit debitum, sed etiam renuente Creditore hoc accipere auctoritate Judicis, vel in loco publico deposuerit & consignaverit hoc debitum *Cass. Manz. ad pr. j. Quib. mod. coll. oblig.*

VIII. Jus offerendi varie tum à Doctoribus tum in jure nostro accipitur. Patet enim *latissimè* pro quacunq; potestate etiam ex mero exhibendi arbitrio, idem denotat offerre, quod sponte & ultrò exhibere *ωεγοφέρειν* prout accipitur in *l. fideicomm. ii. §. 13.* ibi debitor ultrò pecuniam obtulerit *D. d. Legat. III. l. Si quis rogatus 53. D. d. FideiC Libert. l. 2. C. d. Jur. Emphyt. l. ult. §. 12. C. d. Re Milit. XII.* Cicero in *Orat. pro M. Caelio* in *Orat. pro Cn. Planco.* *Orat. pro Rosc. Amer.* quomodo & apud Græcos *ωεγοφέρειν* dicitur, qui se alicui exhibet. *Strictius* atq; frequentius acceptum significat ejusmodi offerendi jus quod ex legitima facultate circa rem competente proficiscetur, ut hanc significatione offerre idem sit, ac jure aliquo exhibere *l. ii. C. d. Usur. l. 9. C. d. Sol. l. 13. §. 8. d. Ad. Empt. l. 2. C. d. pact. inter Empt. & Vend. l. 7. §. 3. C. d. præscript. 30. vel 40. ann. l. 3. D. d. distract. pign.* Hæc potestas in Retractu gentilitio competit Agnatis proximis *c. 8. d. Restit. in Integr.* in alio Retractu convicanis *l. un. C. Non lic. Habitat. metrocomiæ* item Dominis *εμφυτευσε* *l. 3. C. d. Jur. Emphyt.* Jus offerendi obtinet in pacto de Retrovendendo, quod est conventio Emptioni adjecta, ut Venditori justum & integrum pretium iterum offerenti res vendita restituatur *l. 2. C. d. pact. int. Empt. & Vend.* In Codice Theodosiano à Valentiniano Valente & Gratiano constitutum ut honorariis Codicillis habitus ex Comite ad instruendum armorum usum tres equos offerat *l. 1. C. d. Obl. equ.* & in Tit. seq. d. *Oblatione Votorum* oblatio Votorum dicitur à Votis quæ ineunte anno in Urbe & Provinciis pro salute Principis suscipiebantur more jam invento sub Julio C. & Augusto teste Suetonio in Octavio *c. 57. Dione lib. 44. & 55.* Ea suscepta post Kalendaras Jan. die demum tertio ut testatur Cajus *l. 233. π. d. V 15.* *Strictissimè* vero & propriè jus offerendi dicitur, quod in pignoribus receptum

receptum tum Debitori adversus Creditorem *l. 2. C. d. pign.*
tum secundo Creditori adversus primum *l. 22. C. d. pign. Andr. Gail.*
2. o. 92. tum etiam tertio possessori ratione possessionis suæ *l. 12. §.*
1. Quib. mod. pig. vel hypoth. solv. Est igitur jus offerendi facultas
Debitoribus aut secundis Creditoribus hypothecariis tertisque
possessoribus aliisque jure competens adversus eos, quibus res oppigno-
rata sunt, ut oblatio debitio & restituta pecuniâ debitâ res oppigno-
rata recipiant, aut jus suum confirment. Finis factæ oblationis in
pignoribus, quoad Debitorem Creditori offerentem nullus alius est,
nisi ut oblatâ pecuniâ solvatur obligatio *§. 1. j. Quib. mod. re con-*
trah. Oblig. cujus consequens est, ut principali obligatione sublata
tollantur etiam accessoria *l. 129. § 178. D. d. R. J. l. 1. & 2. D. d. pe-*
cul. leg. c. 6. & d. Fid. instrum. Nam hic collapsa ruunt subductis
recta columnis *Juven. Satyr. 8.* Nam quod Debitorem Creditori of-
ferentem concernit, naturali convenit æquitati, ut oblatâ pecuniâ
credita res oppignorata Debitori restituatur; non modò quia ita
conventum, sed etiam quia ista Creditori in securitatem crediti tan-
tùm tradita sit, pignus enim est ortum ex diffidentia, postquam mor-
tales fidem fallere non sunt averfati, nec mutuum reddere, & ta-
men sine eo Contractu nec commercia commodè florere, nec civi-
lis Societas rectè consistere possent, varia subinde excogitata sunt
media, quo & homo hominem beneficio afficere ejusq; indigen-
tiæ succurrere nihilominus creditum in tuto habere posset. Media
ista hæc potissimum fuere, ut ad Securitatem Crediti vel Fidejusso-
res constituerentur, vel pignora traderentur, posteriorem cavendi
modum non Romanis modò sed & Græcis receptum esse argumen-
to est frequens pignorum usus: quin Lege Atticâ cautum, ne in ea
quæ quis oppignorasset, aut ipsi aut ejus heredibus agere liceret
εἰς ἃ τὰς ἀποτίμησεν μὴ εἶναι δίκαι ἕτ' αὐτοῖς ἕτε κληρονομοῖς Samuel
el Petrus in Comm. in LL. Atticas lib. 5. Tit. 4. Equidem, cum ut
plurimum pro minori pecuniâ preciosa supposita sint pignora, si
Debitori jus offerendi denegaretur, Creditor cum damno Debitoris
locupletior fieret *l. 41. D. d. Condict. Indeb.* Nec dubium, quin & jus
offerendi Debitori competens utile sit Reipubl. cum sine eo commer-
cia difficillimè exerceantur, quibus sublatis rupta generis humani fœ-
dera *Flor. lib. 3.* ideò quoq; hoc jus semper obtinuit *H. Grot. d. J. B.*
& P. 2. c. 4. in fin. Non minor etiam æquitas est quoad secundum

B

Cre-

Creditorem offerentem primo, cum enim pignora ut plurimum pretiosa supponantur, æquum est secundum Creditorem etiam debitum suum quovis modo in tuto habere, ast ne vice versâ primus Creditor excidat suo debito, non prius secundus admittitur, quam si integrum debitum primo Creditori obtulerit, nec jure hanc oblationem repudiare poterit, cum nullum ipsi inferatur damnum, secundus verò Creditor offerens, de damno vitando certat, jam verò quod mihi non nocet & alteri prodest, id cuivis etiam ignoto præstandum esse ipsa æquitas & humana societas requirit. Consulitur verò hoc ipso utriq; & offerenti Creditori secundo, & primo cui offertur, isti quia jus suum in pignore sibi confirmat *l. 22. C. d. pign.* Huic quia creditum suum recipit. Soluta verò intelligitur, quoties si fors cum accessionibus & usuris offeratur §. 1. j. *Quib. mod. toll. Oblig. l. 9. C. d. Sol.* quoties enim idoneo tempore fuerit oblata *l. cum filiusf. 49. §. ult. D. d. V. O. l. Si soluturus 39. D. d. Solut.* quoties quoq; opportuno loco oblatio fuerit facta *l. Qui Roma 122. D. d. V. O. l. 39. l. 105. D. d. Solut.* non enim in alio, quam in quem promissum est locum invito stipulatore promissor solvere potest, nisi quod ratione loci ejus intersit simul offerat *l. 1. 2. §. 7. l. 9. D. d. Eo quod cert. loc. l. 8. C. d. Sol.* aliàs si interpellatus Debitor opportuno loco non solverit, moram committere videtur *l. mora 32. d. Usur.* ubi *Marcianus* rectè moram definit, licet determinari difficulter queat, an sit mora contracta, & an id tempus, quod dicitur opportunum, interpellandi fuerit importunum, cum enim individua infinita sint, nullâ quoq; definitione certâ comprehendi posse constat *Anton. Cont. in Tract. d. divers. mor. gen. c. 3.* Oblatio recusata vice solutionis fungitur *l. 72. in pr. π. d. Sol.* si scil. consignatio & depositio oblationi accesserit *l. 9. C. d. Sol. l. 6. l. 9. l. 19. C. d. Usur: Franciscus Munnoz de Estobar in Tract. d. Ratiocin. Administr. c. 6. n. 90. 91.* Necessarium verò est, ut annulus, quo obsignatio fit pecuniæ depositæ, habeat *χαρμηνησ arg. l. 22. §. 5. D. Qui test. fa. poss.* Character seu forma insculpta pro ingenio variata fuit. *Augustus Octav.* Sphynge usus est, *Mæcnas* Rana, *Pompejus* Leone ensifero, *Seleucus* Rex anchora, *Alex. ab Alex. 2. Genial. dier. 10. Marq. Freher. lib. 1. Parerg. c. 9. Lips. ad 2. Annal. Tacit: Pyrrhum* annulum habuisse, in cujus gemma *Achates* erat: in quâ novem Musæ cum insignibus suis singulæ: & *Apollo* tenens cytharam videbantur: non impressis figuris sed ingenitis referunt *Julius Solinus*

linus d. memorab. mund. c. 12. Alex. ab Alex. lib. 2. genial. diev.
c. 19. Plin. lib. 37. Nat. Hist. c. 1. Theodor. Hoping. d. Jur. insign. c.
2. n. 253. Canem ex prorâ navis caput inclinantem, authore Dio-
ne, Galba Imperator detulit, quod signum illud ei à majoribus re-
lictum esset. Freher. lib. 1. Parerg. c. 20 in fin. quadrigâ se in annulô
usum fuisse refert Plinius Secundus lib. 10. Epist. 78. Et de Amphitr.
legitur, quod Solem cum quadrigis exorientem signum habuerit
Plaut. in Amphit. Aquilæ sigillo Draconem ungvibus tenentis,
usus fuit Lacedæmoniorum Rex Arcus quando literas ad Pontifi-
cem Oniam missas obsignavit Josephus lib. 12. Antiq. Judaic.
e. 5. Deorum Dearumq; formas annulis insculpi signatoriis nefas
esse, Attejus Capito sancivit. Macrob. lib. 7. Saturn: De Maho-
metis Bassæ sigillo scribit Thomas Garzonius in Piazz. univers. dis-
curf. in annot. 75. dicens: Schön lustig war des Mahomet Bassa
Siegel/ darauff er einen Seidenwurm auff einem Maulbeer: Blat hat
lassen machen/ zur Anzeig/ daß Er an einer Mohrin verliebet/ von wel-
cher Er gleichsam das Leben/ wie ein Seidenwurm von den Maulbeer-
Blättern empfienge. Joachim. Vadian. in Tract. d. Colleg. & Mona-
ster. Germ. tradit: Veteres privatos sigillis non fuisse usos, sed sal-
tem subscripsisse, Principes verò sigillo munivisse. Oblatio ita le-
gitimè facta producit Actionem pignoratitiam. Præter hanc Debi-
tori oblatâ pecuniâ debitâ etiam Rei Vindicatio competit l. 40. in
pr. D. d. pign. Act. l. 2. C. Quib. mod. pig. vel hypoth. l. 10. C. d.
pign. Act. Bachov. lib. 5. d. pign. cap. 1. prolixè hoc de argumento
agit Jacobus Andreas Crusius in Tractatu Historico - Philologico - Ju-
ridico de Jure offerendi.

IX. *Prælati* non tenetur aliud æs alienum solvere à Præde-
 cesfore suo Contractum quàm quod prò necessitate vel utilitate Ec-
 clesiæ, cui præest contractum est. Accipit enim bona & possessio-
 nes Ecclesiæ velut hereditatem quandam sui prædecessoris *can. cum*
verior XIII. q. 8. Si vero *Prælati* Ecclesiam prò alienis obligat
 debitis, Ecclesia non tenebitur: imò *Prælati* ita obligans & gra-
 vans Ecclesiam removendus est ab administratione rerum Ecclesiæ
c. 2. d. Solutionibus. Imaginaria seu quasi solutio est *Acceptilatio*
 sive liberatio per mutuam interrogationem, quâ utriusq; contingit
 ab eodem nexu solutio *l. 1. d. Sol.* Hanc descriptionem in genere
 intelligendam esse etiam de *Acceptilatione* simplici, quam non præ-
 cesfit novatio & Aquiliana stipulatio existimat *Treutl. 1. 0. 4 Disp. 29.*
d. mod. toll. Oblig. Quod præcisè negant *Hottom. 3. 0. 18. Cujac. 5.*

o. 36. Distinctionem Acceptilationis in simplicem & Aquilianam, insubtilem esse dicit *Bachovius ad Vol. 2. Treutl. d. D. 9. 4 Lit. C. & D.* quoniam nulla talis est sed Aquiliana Novatio per quam obligationes re aut consensu constantes transferuntur in obligationem verborum, & ita objectum habile acceptilationis efficiuntur: & sunt illi duo diversi actus licet alter alterum subsequi soleat, quâ de causâ in §. 2. j. *Quib. mod. toll. Oblig.* ista conjunguntur; quoniam per Stipulationem Aquilianam ideò fit novatio, ut utilis sit sequens acceptilatio. Nec aliquid impedire videtur, quo minus in Aquiliana Stipulatione subsistere possint Contrahentes. Et igitur non minus insubtile esse *putat* quod *Treutl.* addit per simplicem acceptilationem, obligationes verbis tantum contractas, sed per Aquilianam omnes tolli: quia eadem *specie* acceptilatio est, quâ Obligationes quæcunque tolluntur.

X. *Novatio* nil aliud est, quam prioris obligationis in aliam stipulatione facta translatio, vel transfusio *t. t. π. C. 7. & βασιλ. d. Novat.* Fit *Novatio* vel mutata *re personave*, vel manente *re personave* & hoc dummodo aliquid adjiciatur, detrahatur vel mutetur *l. quoties 14. in pr. & §. 1. d. Nov. §. præterea 3. j. Quib. mod. toll. Oblig.* ubi *novationem* fieri docet *Imperator*, si modo aliquid novi sit, veluti si conditio dies aut fidejussor adjiciatur vel detrahatur, & in *l. 8. pr. d. t.* sufficit saltem moram intervenisse, ut *novationi* locus sit. *Persona* mutatur vel intercedente Debitoris mandato & hoc sive *vero*, sive *facto* secuta ratihabitione, vel sine mandato si quicumque alius nomine Debitoris promittat, vel iudicium suscipiat. *Bach. ad Tr. d. D. 9. 5. lit. C.* Dissolvitur etiam Obligatio Compensatione *t. t. π. C. 7. Theod. & βασιλ. d. Compens.* Transactione de quâ prolixè *Treutl. p. 1. Disp. 7. p. post. Disp. 29. 9. 1. lit. 1.* Capitis diminutione maxima vel media. Maxima *species* duæ sunt Servitus hominis in quâ nulla obligatio civilis subsistere potest *l. in personam 22. d. R. 7.* & Servitus pœnæ quò casu etiam in Servi persona obligationem extinguere non ambigitur *l. 1. C. d. Fidejuss.* Jure autem novissimo sublatâ confiscatione obligationes transferuntur in proximos *N. 134.* Media capitis diminutio contingit deportatione & in personâ deportati tollit obligationem *d. l. C. d. Fidej.* Minima capitis diminutio hoc destituitur effectu, post arrogationem enim nihilominus obligatus manet qui jam filiusfam. factus est, quippe qui

qui etiam sub P.P. constitutus contrahens civiliter obligatur *l. 39. d. O. & A.* Per emancipationem ob imaginariam venditionem deductio fit in imaginariam servitutem *l. 3. d. Cap. min.* Sublatis tamen Emancipationis solennibus Obligatio eâ non tollitur *Bachov. d. D. ad Tr. 0. 1. Lit. K.* Solvitur denique obligatio Confusione si Debitor Creditori vel contra Creditor Debitori heres existat, vel unus utriq; *l. 49. & passim d. Sol.* Impossibile enim est, ut una eademq; persona eodem respectu modo ac tempore simul sit Creditor & non sit, sed Debitor: aut ut sit simul Debitor & non sit, sed Creditor, quia impossibile est idem simul inesse eidem & non inesse, secundum idem, ad idem, & similiter & eodem tempore *Aristot. l. 1. Sophist. c. 4. l. 11. Metaph. c. 5.* Ex hoc autem sequitur, quod si contingat, ut prædictarum personarum Creditoris scil. & Debitoris, jura in unam eandemq; personam secundum idem ad idem eodemq; modo & tempore concurrant, non posse non alterum per alterum mutuo tolli, & obligationes in quibus fundantur, confusione extinguere. Sive enim ponas utrumq; jus salvum hoc casu manere, sive alterum saltem, utrinq; prolaberis ad impossibile & absurdum. Prius enim si ponas scil. concurrente in unâ eademqve persona, unô eodemq; respectu, modo ac tempore, uno atqve eodem jure Crediti & Debiti, utrumq; posse consistere illud sequetur absurdum Impossibile: idem simul jus crediti simul inesse eidem personæ uno eodemq; respectu modo & tempore posse, & non inesse, quia inest jus Debiti. Posterius autem si ponas scil. unum saltem tolli & alterum consistere sequitur vel jus Crediti posse consistere sine jure debiti, vel hoc sine illô, quod utrumq; etiam est impossibile, quia totum esse crediti consistit in mutuo respectu ad debitum, & totum esse Debiti in mutuo respectu ad Creditum. Hanc Rectæ Rationis ductum secuti sunt Romani, dum suis Legibus constituerunt, ut quotiescunqve contingat obligationem Creditoris & Debitoris in unam confluere personam, istâ confusione obligationes illæ ipsô jure tollantur, & ita confusionem inter modos civiles quibus extinguitur obligatio retulerunt, *l. 21. §. 1. π. d. Lib. Leg. l. 75. l. 95. §. 2. π. d. Solut. l. 5. & 6. C. d. Hered. Act.* Confusio est species Solutionis & quidem solutio civilis dicitur *l. 107. π. d. Solut.* quia per eam solâ juris ratione absqve naturali pecuniæ numeratione vel rei promissæ præstatione liberatio contingit *d. l. 75.* Forma Confusionis

nis specifica consistit in Obligationis *activæ & passivæ* quæ in diver-
 sis antea personis subsistebant, in unam personam concursu seu con-
 fluxu *l. 107. π. d. Solut. l. 71. pr. d. Fidej.* hac enim ratione differt
 propriè ab omnibus aliis speciebus Solutionis ac modis quibus o-
 bligatio extinguitur *t. t. j. Qu. mo. toll. Oblig.* Concursus obliga-
 tionis activæ & passivæ sine hereditatis aditione contingere nequit,
 unde obligationum confusio non nisi in iis personis locum habere
 potest qui hereditatem adire & volunt & possunt. Quæ personæ
 hereditatem adire nolunt iis convenit *l. 3. C. d. FideiC.* Quæ ne-
 queunt, sunt illæ quæ heredes institui nequeunt ut deportati *l. 17.*
§. 1. π. d. pæn. l. 1. C. d. H. I. Apostatæ l. 1. l. 3. d. Apost. instituti in
 Testamentò ipsò jure nullò. *N. 115. c. 3. in fin.* Ratio confusionis
 consistit in eò quod quæcunq; se invicem *relativè* respiciunt in unò
 eòdemq; subjecto consistere nequeant. *Relativè* sibi invicem *oppo-*
sitæ in universum vel sunt principales, vel accessoriæ & concurrunt
 vel principalis cum principali, vel principalis cum accessoria.
 Obligationum principalium inter se fit confusio quando Creditor
 Debitori suo principali heres existit *l. 65. §. 2. l. 107. π. d. Sol.* vel
 quando vice versâ Debitor principalis Creditori suo heres existit,
 quò casu itidem Confusione extinguitur Obligatio debitoris *l. 75.*
l. 95. §. 2. π. d. Sol. l. 41. §. 2. π. d. Evict. l. 80. π. ad SC. Trebell.
 aut quando tum Creditori tum etiam ejus Debitori Tertius qui-
 dam heres existit ut Fiscus *l. Granus 71. pr. π. d. Fidej. l. 2. C. d.*
Solut. Confusio obligationum accessoriarum fit si Creditor Fide-
 jussori, vel Fidejussor Creditori Heres extiterit, quò utroq; casu
 obligatio accessoria Fidejussoris confusione tollitur *d. l. 71* Reus
 autem principalis seu Debitor non liberatur *l. 43. π. d. Solut.* Vel
 si Debitor principalis Fidejussori succedat, vel Fidejussor principali
 Debitori, & itidem utroq; casu obligatio Fidejussoria Confusione
 tollitur, quia tum duplex obligatio civilis apud eundem esse non
 potest, nec Debitor pro se ipso Fidejussor existere *l. 21. π. d. Fidej.*
l. 95. §. 3. π. d. Sol. aut si tertius quidam succedat aut Creditori, &
 Fidejussor aut Debitori principali & ejus Fidejussori *l. 21. §. 2. π.*
d. Fidej. Hanc materiam fufius pertractat *Schwendorfferus in disc.*
Leg. d. Conf. Jus Prutenicum Provinciale tum prædictis quasi Con-
 tractuum speciebus, tum etiam modis Obligationem tollendi
 robur suum adjecit *P&X. L. 4. Tit. 17. & Tit. 21. per tot.*

Kc 3004

ULB Halle

3

003 757 714



Bitte nach Ausleihe an
Frau Richter. 1
Sammelbd. ? oder
Inhaltliche Werte ?

von 125





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

N. J. TIO XVIII. TARUM SIUM TI & CON- VERSI
v. ex qs. Contr. nasc. & Quib. mod. toll. obl. C. Just. Theod. espondentibus.
SID E
CHRISTO- O Volk / ofesf. Secund.
TOPH. ENDMAN, Prusf. NDENS defendet RIO MAJORI .LXXXI.
MONTI, USNERIANO.

AP